

grna consistat in pecunia; ipseque Vicarius per consequens omni juri decimandi videatur renuntiare; siue potius mediante certâ pecuniâ aut granorum quantitate annuè solvendâ in Pastorem primitivum transferat, non apparet, quod eo casu *Novales* decimas præterequeat; cum omnne plate jus decimandi Pastori primitivo mediante hac annua pensione cesserit.

Unde referente & probante Wamefio *Consilio Can. 44.6. n. 5.* inter causas rationabiles ob quas præscribenti decimas in aliqua Parochia etiam competere queant *Novales* Doctores referunt hanc, si omnia prædia in una eademque Parochia sint uni soli ex privilegio vel præscriptione decimabilia; nec Rector Ecclesiæ sub Parochia ullas possideat decimas majores aut minores; quia propter jus *universi* privilegia seu præscribenti acquisitum, facilius competunt tali casu omnia, quæ de novo creantur, ratione juris comprehensi sub illo universo.

XXIV. Nonnullis indulta fuisse jam pridem privilegia etiam decimas novales percipiendi certum est; atque nonnullis annotavit Renatus Choppinus *De S. P. lib. 3. tit. 4.* eaque supponit Alexander IV. in *Cap. 2. De Decimis in 6.* quod totum penè est ad interpretationem & explanationem illorum privilegiorum.

Ac imprimis declaratur, quod si indultum sit illud Apostolicum, ut novalium decimas pro ea portione percipere valeant, qua veteres percipiebant, id non intelligatur imprimis de novalibus, quas tempore indulti privilegii alii possidebant; nec extendantur ad alias, nisi in his tantum locis, ubi Veteres tunc, quando dictum indultum impetratum fuit, ipsi impetratores habebant; & pro ea solummodo portione, qua ipsi tempore impetrationis, hujusmodi percipiebant antiquas.

Secundo declaratur indultum de recipiendis decimis novalibus obtentum ab iis, qui tempore impetrationis *totaliter* Veteres percipiebant Decimas, ultra medietatem Decimarum novalium non extendi; quia ait Pontifex in *Cap. 2. §. De Decimis in 6.* "Non verosimile si tunc de plena & integra perceptione Veterum fuisset expressum quod Apostolica Sedes pariter & similiter novalium decimas in tam grave Parochialium Ecclesiarum dispendium indulgisset, quod ratione talis indulti siue impetrati jam, siue impetrandi deinceps non possit in novalibus (quæ amodo sicut vindicari & acquiri vel percipi, plus quam medietas decimarum ipsorum novalium; etiam si amplius in Veteribus habebatur; cum non sit dicendum asperum, sed pius potius ac benignum, si super decimis futurorum novalium contra Parochialium Ecclesiarum gravamen (quod ex distinctione indulti hujusmodi posset accedere) taliter obviatur. Religiosos tamen Cisterciensis & Carthusiensis Ordinum itata declaratione hujusmodi (quantum ad hos duos articulos, videlicet de medietate decimarum novalium) comprehendi nolumus, vel constringi.

Ex his perquam manifestum est, sollicitè cavisse Pontifices, ne per privilegia siue indulta de percipiendis decimis nimium gravarentur; quibus *de jure*, & ex prima institutione decimæ debentur, sed ipsis ante omnia insufficienter esset provisum, uti amplius patebit ex dicendis titulo sequenti.

XXV. Monet Zypæus in Notitia juris Belgici *lib. 1. tit. 3. §. De Decimis num. 6.* quod Duces Brabantie quidam sui juris facere voluerint decimas *novales*. Extat Testamentum Henrici III. Ducis Brabantie factum Lovanii in Februario, in quo inter cætera ordinat: "Item per totam terram Brabantie generaliter decimas *novalium* restituimus Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, ad quas pertinent pleno jure." Integrum Testamentum insertum est parte I. Edictorum Brabantie *lib. 1. tit. 5. cap. 1.*

XXVI. Quantum ad jus Parochialis Ecclesiæ, non multum ab similes novalibus sunt decimæ *minutæ*; earumque in Decretalibus etiam non semel mentio occurrit, ac si-

gnanter in *Cap. 30. De Decimis*, ubi dicitur quod quædam Monasteria in multis Parochiis *maiores* decimas percipiant & *minutæ*.

Glossographus ad hoc Capitulum verbo *Minutæ* ait: "Minutæ decimæ appellantur partus animalium, & de pullis, ovis, & hortis.

Germanus Forget in suo tractatu De Rebus decimabilibus *cap. 4.* tractans de Decimis *majoribus* seu *grossis*, & *minutis*, ait *num. 2.* Nos vocamus decimas *grossas* siue *maiores*, decimas frumenti, hordei, avenæ & his similes. *Minutis* autem decimas esse dicit, decimas pisorum, tabularum, & omnis generis leguminum.

Decimæ quoque animalium, ut vitulorum, vel etiam lanæ ex ovibus, pullorum & similes sub *minutis* decimis comprehenduntur. Unde Franciscus DeRoye Antecessor Andegavensis *lib. 2. Instit. Juris Can. cap. 12.* ait: Aliæ sunt decimæ *minutæ*, "puta ex fructibus hortorum, ex leguminibus & ex nutrimento animalium." Observatque ibi, "dem, *minutæ* decimæ etiam hodie dici *virides*, gallicè *Verdes*, quod ut plurimum sunt ex iis quæ virides habent frondes; Nam apud sequioris ævi Scriptores illud *viride* dicitur, quod ex iis nascitur quæ habent *viridia* folia ut notat Glossarium ad Matth. Paris.

XXVII. Decimas *minutæ* non secus ac decimas *novales* speciali titulo debentur Parochis; neque sub generali titulo percipiendi decimas comprehenduntur, certum est, tam de jure, quam consuetudine. Quare pro regula practica in materia ponit decimarum Michael du Perray Advocatus Parlamenti Parisiensis in suo tractatu De Portione congrua *parte 2. cap. 30. num. 47.* decimas *minutæ* adjudicari Parocho exclusis Decimatoribus *majoribus*. Et ita judicatum fuisse 3. Martii 1648. perorante celebri Advocato *Bignonio*. Et rursus 24. Aprilis 1663. contra Priorem generalem Ordinis militaris De Malta; non obstantibus ejusdem Ordinis privilegiis. Refertur arrestum tomo 2. *Journal des audiences lib. 5. cap. 20.*

Tertium denique prolatum fuit 25. Februarii 1661. testa Du Perray loco citato.

Testatur quoque Germanus Forget loco supra indicato *num. 3.* certam herbam ex qua oleum confici solet, quod ipse gallicè vocat, *Rabette*, declaratam fuisse decimam *minutam*; atque hoc titulo per tria diversa arresta adjudicatam esse Parocho privativè ad *maiores* vel *grossas* Decimatores.

XXVIII. Id tamen non procedere monet Forgetius, si præcipuus proventus siue fructus Parochiæ consistat in illa specie frugis. Tunc enim non pro decima *minuta*; sed *grossa* siue *major* reputaretur; nec ad Parochum, sed majores Decimatores spectaret.

Probat quoque Franciscus DeRoye loco citato sententiam Cardinalis Hostiensis dicentis, "Decimas *minutæ* de finiri juxta varias locorum consuetudines prout in iis consuetudinibus sit earum rerum.

CAPUT VII.

Qui decimas solvere teneantur; & qui ab iis exempti?

1. *Jure communi omnes ad decimas tenentur.*
2. *Præcipue tamen laici.*
3. *Laicus solo titulo præscriptionis à decimarum solutione se excimere nequit.*
4. *Possessio immemorialis interdum facit præsumptionem infæudationis; sed sola non sufficit ad exemptionem à decimis.*
5. *Toparcha Parochiarum tenentur ad decimas è suis terris solvendas.*
6. *Terra etiam censibus subiecta decimas solvere debet.*

7. *Jure*

7. *Jure communi Principes è suis terris decimas debent; I. Fiscales Brabantie contrarium sustinent.*
8. *Ad tempus potest Parochus decimas remittere; & hodie frequentes sunt cum laicis super decimis conventiones.*
9. *Monachi antiquitus decimas solvebant.*
10. *Etiã jure Decretalium ad eas tenentur.*
11. *Jam pridem Monachis privilegia non solvendi decimas concessa.*
12. *Privilegium Paschalis II de non solvendis decimis de laboribus & nutrimentis propriis.*
13. *Simile datum Leprosis in commune viventibus.*
14. *Illud privilegium restrictum ad Novalia respectu Religiosorum exceptis Cisterciensibus, Templariis & Hospitalariis.*
15. *Cistercienses specialiter privilegiati ab Innocentio II. & quare?*
16. *Occasione hujus privilegii multa querela & dissidia exorta.*
17. *Nimia possessionum acquisitio præcipua offensivum origo.*
18. *Conqueritur Archiepiscopus Cantuariensis quod decimæ aliis debita per hoc privilegium auferantur.*
19. *Dicit privilegium datum quando Ordo paupertate gaudebat.*
20. *Scribitur illud privilegium hodie Ordini non convenire.*
21. *Cisterciensibus indultum fuisse privilegium, quando ratæ erant Abbacia dicit Alexander III.*
22. *Volebant privilegium extendere ad terras quas alii excolendas dabant.*
23. *Id esse contra tenorem privilegii declarat Alexander III.*
24. *Privilegium non extenditur ad terras quas Cistercienses ab aliis conducunt.*
25. *Novæ continuo querela contra Cistercienses sunt.*
26. *Cistercienses resolverunt his querelis obviare excitati litteris Innocentii III.*
27. *Referuntur litteræ Innocentii III.*
28. *Statutum in Capitulo Cisterciensium conditum, & à Concilio Lateranensi sub Innocentio III. probatum.*
29. *Addit Concilium ultiorum restrictionem privilegii.*
30. *Quæ à Concilio probata & statuta sunt ad omnes alios Regulares privilegii Cisterciensium gaudentes extenduntur.*
31. *Quæ communiter exemptio Regularibus à decimis competat vigore privilegiorum quæ corpori juris sunt inclusa?*
32. *Præ reliquis privilegiati Cistercienses.*
33. *Cistercienses resolverunt non uti immunitate quoad terras de novo acquisitas.*
34. *Ex ordinatione Concilii Lateranensis Cistercienses non gaudent immunitate quoad terras post Concilium acquisitas; etiam si propriis manibus excolant.*
35. *Ampliora privilegia per Pontifices indulta.*
36. *Non constat, hæc privilegia ubique esse recepta.*
37. *Expendendum, quid habeat possessio.*
38. *In dubio pro solutione decimarum judicandum, præsertim in favorem Parochi.*
39. *Non adjudicanda immunitas quoad terras aliis elocatas; & ita jam pridem in Gallia judicatum.*
40. *Quid hæc in parte declaratum in favorem Cisterciensium & aliorum Ordinum à Ludovico XIII. Galliarum Rege.*
41. *Ufus in his privilegiis attendendus; cavendumque ne Ecclesiis præcipue Parochialibus nimium præjudicetur.*
42. *Privilegia hæc personalia sunt 3 & ad alios extendi nequeunt.*
43. *Non extenduntur ad decimas quæ cum speciali onere alicui sunt indulta.*

Van Espen Jur. Eccl. P. II.



Ure communi ab omnibus Christianis decimas debent, neminemque quacumque etiam dignitate præ eminentem ab iis exemptum esse; nisi speciali se privilegio titulove exemptum probet, unanimes est Canonistarum sententia in *Cap. 3. 4. & 5. De Decimis.*

II. Porro hæc obligatio solvendi decimas præcipue tangit laicos, qui à Parochis & Clericis spiritualia accipere debent; eoque titulo quasi jure quodam naturali decimas pro Sacerdotum sustentatione dare tenentur.

III. Unde laicus difficulter admodum se à decimarum solutione excimere potest; refertque Broudæus ad Lovetium *Litt. D. num. 9.* non semel judicatum, laicos obligari ad solvendas decimas è suis terris, tamen si à tempore *immemoriali* non solvissent; si non ostendant decimas istius terræ titulo infæudationis sibi competere; atque aliâ possessionem immemoriam, etiam centum aut ducentorum annorum non solvendi decimas non esse sufficientem ad acquirendam exemptionem aut immunitatem; nullaque persona laica (ait) potest acquirere immunitatem libertatem aut exemptionem à decimis *lapsu* temporis; neque eam præscribere ob negligentiam aut collusionem Parochi, aut alterius personæ Ecclesiasticæ jus decimandi alienare non valentis.

IV. Verbo, possessio *immemorialis* (inquit) præsumi facit infæudationem, quando antiqui tituli, & investitiones proferuntur, non autem sufficit, ut faciat locum præscriptioni seu exemptioni à decimis; quas Parochus solo titulo suæ Ecclesiæ siue Beneficii Parochialis petere potest in futurum; licet non quoad præteritas, quas non petivit.

V. Refert dein judicatum fuisse anno 1633. contra cujusdam loci *Toparcham*, ipsum obligari ad solutionem decimarum ex quibusdam fundis; tamen probata esset possessio *immemorialis* exemptionis siue non solutionis decimarum, per elocationes continuè factas à centum & quinquaginta annis, aliaque acta in lire exhibita.

Quinimò *Toparchæ* prætendentes titulo suæ *Toparchæ* exemptionem à decimis solvendis è suis fundis dominicalibus non semel repulsi sunt, non obstante possessione non solvendi; judicatumque eos non excimere, nisi speciali privilegio suam exemptionem probaverint, Carolus Feuretius De Abusu *lib. 6. c. 2. n. 2.* & *Journal des Audiences part. 4. lib. 1. c. 2.*

VI. Refert quoque Michael Du Perray judicatum per arrestum 1. Februarii 1641. quod possidentes terras oneratas censibus dumtaxat, solvere teneantur decimas, tamen si plusquam à 80. annis decimas non solvissent. Insertum parti primæ *Journal des Aud. lib. 3. cap. 3.*

VII. Imò jure communi attento, etiam Principes & Reges è suis terris decimas debere unanimes consensu tradunt Canonistæ, pluresque citat Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap. 1. §. 5.* addens tamen: "Sed Fiscales Brabantie id non admittunt, sed allegant immemorialem præscriptionem, & Domania Ducis semper fuisse libera, & immunita à Decimarum solutione, & in tali qualitate semper fuisse elocata & etiam annuè elocari.

VIII. Monet loco citato Broudæus ad Lovetium, quod si exemptio à decimis concessa esset alicui laico per Parochum ad aliquot annos, pûta decem, mediante aliqua compensatione & indemnitate facta Ecclesiæ, conventio hujusmodi esset valida; quia tantum tangit fructus annuos, non autem jus decimandi in se. Ita videmus Capitula & Monasteria passim remittere decimas aliquot annorum; aut certè in multo minore quantitate earum solutionem admittunt, ut facilius laicos, ad terras inundatas, aut steriles & infructuosas reducendum ad culturam & terras arabiles.

Yyy

IX, Non

IX. Non tantum laicos; ſed & Religioſos ſive Monachos ad decimas de terris ſuis ſolvendas de jure tenentibus indubitatum eſt.

Dixit jam pridem S. Hieronymus *Epist. 1.* apud Gratianum *Caſ. 16. q. 1. Can. 6.* "Alia cauſa eſt Monachorum, alia Clericorum. Clerici paſcunt oves, ego paſcor; illi de altario vivunt, mihi quali inſtructor arborum ſecuris ponitur ad radicem, ſi minus ad altare non deſero.

Clarum eſt ex illo contextu, tempore Hieronymi, Monachos non ſecus ac alios laicos munera ſua, id eſt, oblationes ad Altare deſerere.

X. Et in *Cap. 4.* *De Decimis* ſcribit Pontifex, monendos & utgendos Monachos, ut "decimas de terris cultis in quibus olim domus conſtructæ fuerant, Eccleſiæ cum ea integritate perſolvant, qua priuſquam in eadem Parochia morarentur, ſolebant perſolvi.

Hinc concluditur, terras à Monachis poſſeſſas nullatenus à decimis eximi; niſi ſpeciale exemptionis privilegium oſtendant; notatque expreſſe Gloſſa ad *Cap. 10.* *De Decimis*, verbo *laborum ſuorum*, "quod Monachi in primitiva Eccleſiæ dabant decimas de prædiis & laboribus ſuis ſicut laici.

XI. Sicuti autem jam pridem Monachis ad eorum paupertatem ſublevandam decima datae fuere; ita quoque privilegia exemptionis à decimis iſtis data fuere legitur.

XII. Sub nomine Paſchalis II. refert Gratianus *Caſ. 16. q. 1. Can. 47.* "Decimas à populo Sacerdotibus, ac Levitis eſſe reddendas, divina legis ſanxit auctoritas, Cæterum à Monachis, ſive Clericis communiter viventibus nulla ratio finit, ut milites, aut Epifcopi, aut perſonæ quælibet decimas de laboribus, ſeu nutrimentis ſuis propriis extorquere debeant.

XIII. Hinc congruit quod de leproſis in communi viventibus ex Concilio Lateranenſi dicitur in *Cap. 2.* *De Eccleſiis adificandis*: "Statuimus etiam, ut de horris & nutrimentis animalium ſuorum decimas tribuere non cogantur.

XIV. Teſtatur Alexander III. in *Cap. 10.* *De Decimis*, quod prædeceſſores ſui ſere omnibus Religioſis decimas laborum ſuorum conceſſerant, "Sed (ait) Prædeceſſor noſter Hadrianus (nimirum IV.) ſolis Fratribus Ciftercienſis Ordinis, & Templariis, & Hospitalariis decimas laborum ſuorum, quos propriis manibus vel ſumptibus colunt; indulſit; Cæteris verò, ut de novis horris ſuis decimas non perſolvant; quem ſumus ſuper his imitari. Quare ii, quibus hoc indultum eſt, hac occaſione decimas de aliis rebus Eccleſiæ ſuæ non poſſunt ſubtrahere, vel ſibi aliquid ulterius vindicare.

XV. Ciftercienſis ſpecialiter in his à Pontificibus privilegiatos fuiſſe, etiam ſub initiis pene ſui inſtituti; ipſoque S. Bernardo præcipuo Ordinis iſtius propagatore vivente, conſtat.

Vir eruditus Joannes Mabilonius in præſatione quam recentiori operum S. Bernardi editioni præmiſit, § 4. agens de ſchiſmate inter Innocentium II. & Anacletum; poſtquam oſtendit multos labores ſanctum Bernardum pro extinctione iſtius ſchiſmatis & in favorem Innocentii ſubiſſe; ac tandem feliciter ejus operâ, ſchiſma fuiſſe extinctum, ſubjungit *num. 48.* "Tanti beneficii, maxime per Bernardum accepti, memor Innocentius, Ciftercienſibus decimas ex omnibus quas habebant poſſeſſionibus propriâ auctoritate relaxavit, inconſultis iſis ad quos ejuſmodi decimæ pertinebant.

XVI. Quantæ hinc querelæ, & inter Ordinem Ciftercienſem & Epifcopos atque alios Ordines exorta ſint diſſidia notavit idem Mabilonius in notis ad *Epistol. 228.* & 232. Sancti Bernardi,

XVII. Hoc autem vel præcipue torquebat Epifcopos & alios Religioſos, quod paſſim ſibi Ciftercienſes attraherent poſſeſſiones & prædia à quibus jam antea vel Clericis vel aliis Religioſis decima ſolvebantur; reipſa decimas aliis ſubtraherent.

XVIII. Id patet ex *Epistola 82* quam ſub finem ſæculi 12. nomine Richardi Archiepiſcopi Cantuarienſis ſcripſit nominatiſſimus ille Archidiaconus Bathoniensis ſcriptus Bletenſis *Abbatibus & Conventibus Ciftercienſibus*. In hac *Epistola*, præmiſſis Ciftercienſium laudibus, ſubdit, in uno eorum famam decolorari, quod "Clericis & Monachis decimas auferrent Et quæ eſt, ait injurioſa immunitas, ut exempti ſitis à decimarum ſolutione, quibus obnoxia terræ erant, antequam veſtræ eſſent; & quæ ſolutæ ſunt, hæcenus, non perſonarum obtentu, ſed territorii ratione? Si in veſtram poſſeſſionem terræ devolutæ ſunt, quare in hoc periclitatur alienum jus? Nam ad vos terræ juxta communem æquiritatem, cum ſuo onere tranſierunt.

XIX. Et obſectio ſibi Papæ privilegio ait: "Non poſſimus in cælum os noſtrum, nec de facto ſummi Pontificis diſputamus; ſed ſi dominus Papa indulgentiâ ſpeciali quandoque privilegia verit vos, dum Ordo veſter in paupertate gaudebat, dum in uſus egentium ſuæ nutritis viſcera liberaliter effundebat, potuit tolerari ad tempus, licet in communem redundaret injuriam, quod cauſâ neceſſitatis fuerat introductum; nunc autem quando veſtræ poſſeſſiones multiplicatæ ſunt, etiam in immenſum, privilegia hæc potius ambitionis quam Religionis instrumenta cenſentur.

XX. Deinde addit: "Quidquid indulgent privilegia Eccleſiæ Romanæ, vobis expedire non credo, contra conſcientiam veſtram, quod alienum eſt uſurpare, Quid ſi à Sede illa publicum emanaret edictum, quod ubicumque inveniretis Clericos, aut alterius habitus Monachos equitantes, vobis licere eos de ſuis evectionibus deſicere, & equos in uſus proprios detinere? Quid intereſt equos rapiatis, an decimas? Niſi quia decima res ſpiritualis eſt, & ideo enormius ſacrilegium in decimis committitur quam in equis.

XXI. Et ſanè Ordini Ciftercienſi privilegia illa data fuiſſe, quando ex illorum conceſſione nulli ſcandalum oboriri poſſet fateatur Alexander III. in *Cap. 9.* *De Decimis*, ſuadens quibuſdam Monachis Ordinis Ciftercienſis, ut cum prætendentiſ ab iſtis decimas componant "Nam quando (ait) Romana Eccleſiæ Ordini veſtro privilegia de decimis dederat, ita erant rarae Abbatæ veſtri Ordinis, quod exinde nulli poterat de jure ſcandalum ſuboriri; ſed nunc in tantum augmentata ſunt, ac poſſeſſionibus diſtata, quod multi viri Eccleſiaſtici de vobis apud nos querelam ſæpe proponunt.

XXII. Volebant quoque Ciftercienſes privilegium illud etiam ad poſſeſſiones quas aliis excolendas tradebant extendere, uti intelligitur ex litteris Alexandri Tertii, quæ integre referuntur in *Cap. 11. De Decimis* in prima collectione decretalium apud Antonium Auguſtinum; & in appendice ad Concilium Lateranenſe ſub Alexandri Tertii parte 13. *cap. 6.* fragmentum autem extat in *Cap. 11. De Decimis*.

XXIII. In his ergo ſcribit Alexander III. "Licet de benignitate Sedis Apoſtolicæ ſit vobis indultum, ut de laboribus veſtris, quos propriis manibus vel ſumptibus colitis, nemini decimas ſolvere teneamini; Propter hoc tamen non eſt licitum vobis decimas de terris veſtris ſubtrahere, quas aliis traditis excolendas.

Poſt hæc dicit: "Relatum eſt ſiquidem auribus noſtris, quod cum terras quaſdam, quas in decimatione dilecti filii noſtri Theſaurarii Senonen. habetis, detis ruſticis veſtris excolendas, exinde decimas ſicut debetis, non ſolvitis, nec facitis à ruſticis iſtis exſolvi, Quoniam igitur

igitur quanto ætius vos, & Ordinem veſtrum diligimus, tantum minus vos, & Ordinem veſtrum volumus efficiere quæ ſunt honeſtati contraria, vel obvia rationi, aut ex quibus privilegiorum noſtrorum renovationem transgredi videamini, cum privilegium videatur amittere qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate: f. v. m. quat. de terris illis, quas in decimatione prædicti Theſaurarii propriis manibus non excolitis, ſed ruſticis traditis excolendas, decimas vobis uſurpare nullatenus præſumatis, ſed eas in propriis eidem Theſaurario faciatis cum omni integritate perſolvi.

XXIV. Rurſus apud Alexandrum Tertium Abbas & fratres ſanctæ Crucis, qui erant Canonici Regulares conqueſti fuere de Monachis de *Neubohel* Ordinis Ciftercienſis in Scotia, quod decimas ſolvere renuerent ex prædiis, quæ ipſi Ciftercienſes à ruſticis Parochiæ, in qua illi Canonici Sacramenta adminiſtrabant, & eo titulo decimas accipiebant, conduxerant vel ad firmam acceperant: quo fiebat, ut illi Canonici pene omnibus ſuis decimis defraudarentur. Unde ſcribit ad illos Monachos Ciftercienſes Alexander: "Nec fuit intentionis noſtræ, aut Anteceſſorum noſtrorum, ut de poſſeſſionibus, quas conductis, decimas non debeatis perſolvere: Univerſitati veſtræ m. præ. (id eſt, mandando præcipimus) ut eis de fructibus de prædiis, quæ conductis in parochiis ſuis, de quibus conſueverunt decimas percipere, plenarie perſolvatis, vel cum ipſis tam pacifice, & amicabilem conveniatis, quod nulla inter vos debeat ſcandali malitia ſuſcitari, & vos videamini ultra quam vobis indultum eſt manus extendere.

Ita legitur in *Cap. 6. De Decimis* in prima Collectione Decretalium & eadem pene leguntur in *Cap. 8. eod.*

XXV. His interpretationibus ſive privilegii extensionibus, nec non novis poſſeſſionum acceſſionibus privilegium hoc in magnum Eccleſiarum Parochialium, & aliorum quibus decimæ competeſcebant gravam redundabat; multaſque contentiones & rixas excitabat.

XXVI. Itaque Abbates Ordinis Ciftercienſis in Capitulo generali congregati anno 1213. reſolverunt, hiſce querelis & contentionibus occurrere præſertim excitati litteris Innocentii III. inſcriptis ſub idem tempus Monachis Ciftercienſis Ordinis & Hospitalariis Dieceſis Quinque Eccleſienſis; eſtque 85. *lib. 16.* in editione *Epistoliarum* Innocentii per Boſquetum.

XXVII. In hac itaque *Epistola* primò ſcribit Innocentius: "Venerabilis Frater noſter Quinque Eccleſienſis Epifcopus nobis intimare curavit, quod vos extentes ad lucra turpia manus veſtras multitudinem emittis vinearum, de quibus ſibi, vel Eccleſiis ſuæ Dieceſis decimæ ſolvi ſolent: quarum vinum licet nequam in uſus proprios expendatis, ſed vendendum ad alias faceatis provincias deportari: decimas tamen ſibi, vel ipſis Eccleſiis ſubtrahitis ex eiſdem.

Poſt hæc ſubjungit: "Cum igitur ex hoc Ordini veſtro plurimum detrahatur, Univerſitati veſtræ per Apoſt. ſcript. mand. quatenus ab iſis de cætero taliter deſiſtatis, quod materia ſcandali auferatur, & ſuper hoc de vobis clamor ad nos ulterius non aſcendat. Sciens nobis eſſe meritò formidandum, ne propter clamores hujusmodi ſacrum Concilium, auctore Domino, in proximo celebrandum privilegia veſtra condanda provideat, vel etiam revocanda; cum privilegium mereatur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur liberate.

XXVIII. Litteris hiſce in Capitulo generali lectis ſtatutum ediderunt, quo querelis Epifcoporum aliorumque decimas poſſidentium laſiſſet, ſalvâ privilegii ſui integritate, poſſe credebant.

Hoc ſtatutum in Concilio generali Lateranenſi cui Innocentius III. præſidebat lectum & probatum fuit; referreturque Decretum Concilii in *Cap. 34. De Decimis* *Van Eſpen Jur. Eccl. P. II.*

"Nuper Abbates Ciftercienſis Ordinis in generali Concilio (vel potius *Capitulo* ut in prima Decretalium collectione) congregati, ad commonitionem noſtram (Innocentii III.) providè ſtatuere, ne de cætero fratres ipſius ordinis emanent poſſeſſiones, de quibus decimæ debeantur Eccleſiis, niſi forte pro monaſteriis noviter fundandis. Et ſi tales poſſeſſiones eis fuerint piâ fidelium devotione collatæ aut emptæ pro monaſteriis de novo fundandis, committantur aliis excolendæ, à quibus Eccleſiis decimæ perſolvantur.

XXIX. Hæcenus ordinis ipſius ſtatutum, cui deinde addit Concilium Lateranenſe: "Ne occasione privilegiorum ſuorum Eccleſiæ alterius prægraventur, decernimus, ut de alienis terris & amodo acquirendis, etiam ſi eas propriis manibus, aut ſumptibus excolunt, decimas perſolvant Eccleſiis, quibus ratione prædictorum antea ſolvebantur, niſi cum ipſis Eccleſiis aliter duxerint componendum.

XXX. Denique hæc omnia Concilium ſua auctoritate extendit ad omnes Regulares iſdem privilegiis cum Ciftercienſibus gaudentes: "Et hoc ipſum (ait) ad alios Regulares, qui gaudent ſimilibus privilegiis, extendi volumus & mandamus ut Eccleſiarum Prælati promptiores, & efficacioreſ exiſtant ad exhibendum eis, de ſuis malefactoribus juſtiæ complementum, eorumque privilegia diligentius & perfectius ſtudeant obſervare.

XXXI. Si itaque attendamus privilegia immunitatis à decimis Regularibus indulta, prout illa Corpori Juris inſerta ſunt, ſequitur imprimis; nullos Regulares exceptis Ciftercienſibus, Templariis, & Hospitalariis habere immunitatem à decimis, niſi de *novalibus ſuis*, qua propriis manibus vel ſumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium ſuorum, & de hortis ſuis; uti ſtatuit Hadrianus IV. & probavit Alexander III. in *Cap. 10. De Decimis*.

XXXII. Secundò, Ciftercienſibus, Templariis & Hospitalariis indultam eſſe immunitatem à decimis de omnibus ſuis terris quas propriis manibus excolunt, uti in citato *Cap. 10.* declaratur.

XXXIII. Tertio habetur, quod Ciftercienſes vi ſtatuti ſui Ordinis à Concilio Lateranenſi probati, non poſſint de novo poſſeſſiones, de quibus antea decimæ ſolvebantur, acquirere, niſi pro fundandis noviter monaſteriis; & ſi etiam in hanc cauſam dentur, eas aliis excolendas tradent, ut ex iſis decimæ ſolvantur.

XXXIV. Quarto, quod ſi quas poſſeſſiones poſt Concilium Lateran. celebratum ſub Innocentio III. anno 1215. quocumque modo acquiſerint, eaſque etiam propriis manibus excolant, decimas ſolvere teneantur Ciftercienſes, & omnes familia privilegia habentes; uti conſtat ex ordinatione ipſius Concilii Lateranenſis.

XXXV. Verùm Ciftercienſes alique Regulares plurima proferunt poſteriorum Pontificum privilegia, quibus amplior ipſis indulgetur à decimis exemptio ſeu immunitas, quam in privilegiis Corpori Juris inſertis eſt expreſſa; quæ privilegia paſſim apud auctores de hac immunitate ſcribentes referuntur; ac ſignanter apud Wameſium *Conſilio Can. 445.* & Zypæum *Conſult. 8. De Decimis*.

XXXVI. Porrò Zypæus relato privilegio Martini V. quo larga latis à Decimis immunitas, etiam de terris poſt Concilium Lateranenſe acquirendis, indulgetur Ciftercienſibus, ait: "Sed vereor in vitioſi non eſſe paſſim obſervantia, quatenus excedit privilegia Corpori Juris inſerta (quamvis Wameſius *De Decimis conſ. 445.* Illa ex facto propugnet) præſertim quando erunt noviter emptæ poſſeſſiones, ex quibus aliis decimæ ſolvebantur, aut non ipſis propriis manibus, aut ſumptibus colant, aut ſaltem partiaris forte habuerint colonos, qui de portione ſua decimas ſolvant, portione Religioſorum immuni relicta, Yyy 2 XXXVII.